



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXCIIV. An moueri possit Angelus de loco ad locum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Respondeo dicendum, quod Angelus beatus potest moueri localiter. Sed licet esse in loco aequiuoce conuenit corpori & Angelo: ita etiam & moueri secundum locum. Corpus enim est in loco in quantum continetur sub loco, seu commensuratur loco. Vnde oportet, quod etiam motus corporis secundum locum commensuratur loco, & sit secundum exigentiam eius. Et inde est, quod secundum continuitatem magnitudinis est continuus motus. Et secundum prius, & posterius in magnitudine est prius, & posterius in motu locali corporis, ut dicitur in 4. Physic. Sed angelus non est in loco ut commensuratur & contentus, sed magis ut continens. Vnde motus Angeli in loco non oportet, quod commensuretur loco, nec quod sit secundum exigentiam eius, ut habeat continuitatem ex loco, sed est motus non continuus. Quia enim Angelus non est in loco, nisi secundum contactum virtutis, ut dictum est: necesse est, quod motus Angeli in loco nil aliud sit, quam diuersi contactus diuersorum locorum successiue, & non simul: quia Angelus non potest simul esse in pluribus locis, ut supra dictum est. Huiusmodi autem contactus, non est necessarium esse continuos. Potest autem in huiusmodi contactibus continuas quædam inueniri: quia, ut dictum est, nihil prohibet Angelo assignare locum diuisibilem per contactum suæ virtutis: sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis. Vnde sicut corpus successiue, & non simul dimittit locum, in quo prius erat, & ex hoc caritur continuus in motu locali eius: ita etiam Angelus potest dimittere successiue locum diuisibilem, in quo prius erat. Et sic motus eius erit continuus. Et potest etiam totum locum simul dimittere, & toti alteri loco simul se applicare. Et sic motus eius non erit continuus.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio dupliciter dicitur in proposito. Primo quidem, quia demonstratio Arist. procedit de indiuisibili secundum quantitatem, cui responder de necessitate locus indiuisibilis. Quod non potest dici de Angelo. Secundo quia demonstratio Arist. procedit de motu continuo. Si enim motus non esse continuus posset dici, quod aliquid mouetur, dum est in termino a quo, & dum est in termino ad quem: quia ipsa successio diuersorum ubi circa eandem rem, motus diceretur. Vnde

de in quocunque illorum, ubi esse res illa, posset dici moueri. Sed continuus motus hoc impedit, quia nullum continuum est in termino suo, ut patet, quia linea non est in puncto. Et ideo oportet, quod illud, quod mouetur, non sit totaliter in altero terminorum, dum mouetur, sed partim in vno, & partim in altero. Secundum ergo quod motus Angeli non est continuus, demonstratio Arist. non procedit in proposito: sed secundum quod motus Angeli ponitur continuus. Sic concedi potest, quod Angelus, dum mouetur, partim est in termino a quo, & partim in termino ad quem: ut tamen partialis non referatur ad substantiam Angeli, sed ad locum, quia in principio sui motus continui Angelus est in toto loco diuisibili, a quo incipit moueri. Sed dum est in ipso moueri, est in parte primi loci, deserit, & in parte secundi loci, quem occupat. Et hoc quidem, quod possit occupare partes duorum locorum, competit Angelo ex hoc, quod potest occupare locum diuisibilem per applicationem suæ virtutis, sicut corpus per applicationem magnitudinis. Vnde sequitur de corpore nobili secundum locum, quod sit diuisibile secundum magnitudinem: de Angelo autem, quod virtus eius possit applicari alicui diuisibili.

Ad secundum dicendum, quod motus existentis in potentia est actus imperfectus. Sed motus, qui est secundum applicationem virtutis, est existentis in actu, quia virtutis rei est secundum quod actu est.

Ad tertium dicendum, quod motus existentis in potentia est propter indigentiam suam: sed motus existentis in actu non est propter indigentiam suam, sed propter indigentiam alterius. Et hoc modo Angelus propter indigentiam nostram localiter mouetur, secundum illud Hebræorum 1. Omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.

CONCLUSIO est affirmans, & meo iudicio certa, sicut Angelum esse in loco: in eius tamen elucidationem sequentibus disputationibus nonnulla dicenda sunt.

DISPUT. CXCIV.

An moueri possit Angelus de loco ad locum.

Quid sentiant Hieronymus, & Durandus. cap. 1.
Angelorum loco moueri, vera sententia. cap. 2.
Angelum a se moueri. cap. 3.

CAPVT

Quid sentiant Heruæus & Durandus.

Inter Scholasticos nullus est, præter Heruæum & Durandum, qui asserat, Angelos non moueri secundum locum: id autem docuerunt Heruæus in tractatu de motu Angeli qu. 1. præsertim artic. 1. & 2. Qui incipit, Ad secundum principale. & Durandus in 1. dist. 2. 3. 7. parte dist. q. 1. & n. 26. & q. 2. referuntur quoque pro hac sententia Aegidius in 2. dist. 37. & Caietanus in commentar. huius articuli. cum plane adstruant, Angelum moueri; tamen in ratione morus explicanda ab aliis differat, ut disput. sequi. cap. 2. videbimus. In prædictam vero opinionem de motu Heruæus, & Durand. diuersis rationibus adducuntur. Nam de existentia Angeli in loco diuersa quoque sunt opinati. Durandus enim ideo docet Angelum non moueri de loco ad locum, quia putat Angelum semper ubique adesse, aut saltem in illis omnibus locis simul, in quibus esse potest, & operari: cumque ad motum secundum locum necessarium sit locum relinquere, sit, ut Angelus non moueatur: imo vero inde probauit, Angelum simul ubique esse, aut in omni loco, ubi esse potest, quia nequit intelligi, quomodo in Angeli substantia sit aliqua mutatio secundum locum de loco prioris, & adquirendo alium. Heruæus autem eodem modo asseruit, Angelum non moueri secundum locum, sicut dixerat, non esse in loco: ut enim aliquid loco moueatur, & ad locum debet in loco esse: cum ergo Heruæus asserat, Angelum in loco non esse, consentaneæ suis principiis docet: nec loco moueri, nec ad motum secundum locum, ut videtur sufficere præsentiam illam, quam Heruæus Angelo concedit non secundum substantiam, sed sicut causa dicitur esse in effectu suo. Pro hac sententia præter fundamenta, quibus prædicti auctores si sunt in opinioibus, quas de loco Angelorum docuerunt, videtur esse Aug. de Genes. ad lit. cap. 20. & 6. ubi ait, creaturam corpoream moueri per loca, & tempora; spirituales vero solum per tempora.

CAPVT II.

Angelum loco moueri, vera sententia est.

Vera sententia communi Scholasticorum, & Patrum calculo firmata est, Angelum non minus vere loco moueri, quam in loco esse. Ex Scholasticis hanc sequuntur reliqui omnes, quos sequi. disput. referemus, qui etiam contra Heruæum dixerunt, Angelum in loco esse, ut vidimus disputatione 87. Ego autem existimo eam catholicam esse quod ex Scriptura manifeste deducatur, ut paulo post ostendemus. Ex Patribus vero eam tradiderunt commemorata disput. prædicta cap. 1. qui affirmarunt, ita Angelum in loco esse, ut peculiari loco definitur: sic enim necesse est, inde moueri posse. Atque ita plane sentitur Durand. & Heruæus, si eos in loco eo modo esse existimas: illi namque negarunt motum Angelorum, aut quia in loco Angeli non essent, aut quia loco peculiari non essent definiti. Sunt etiam alij plures Patres, qui plane docent, Angelos de loco

ad locum moueri, Gregor. Nazianz. erat. 34. quæ est inquit, 2. de Theologia in fine, ubi de Angelis ita inquit, *Luci omnia peragunt, omnibusque impigre adiungunt, tam et ministerij promptitudinem, tam ob naturæ leuitatem.* Quod si ubique essent simul, ut dixit Durandus, neque dicerentur loca peragere, neque ob naturæ leuitatem ubique impigre adesse, sicut corpus non ad est omnibus partibus loci, quem simul occupat, ob naturæ leuitatem & promptitudinem, sed qui simul in illis est: id quod antea Dionysius dixerat, *capite ultimo de celest. Hierarch. ante medium cum dixit, Angelorum pedes alatos depingi propter motus celeritatem. Chrysostom. vere expresse hanc, Chrysostom. in epist. ad Hebr. in illa verba, Omnes sunt administratores spiritus, inter Angelos, qui mittuntur, & filium Dei, qui etiam missus est, hoc autem interesse quod illi, cum mittuntur, loco mutant, non autem filius Dei. Quibus consentit Damasc. lib. 1. de fide cap. 17. Damasc. Angelus (inquit) ob naturæ permittentem, & quia prompte, ac celeriter transit, in diuersis locis operatur. Et 2. de fide cap. 3. docet, Angelos, cum ad terram & cælo mittuntur, in cælo non manere. Ex Latinis quoque antiquis Tertull. in apologia contra gentes. cap. 32. ita scribit, *Omnes spiritus alicuique sunt Angeli, & homines, igitur mori ubique sunt Angeli, lib. de Spiritu Sancto. 10. inter spiritum creatum & increatum differuntiam constituit, quod creatus de loco ad locum transit, quia non complet omnia; ita, inquit, habet motum defensorium: sed spiritus increatus non habet talem motum, neque eum mittitur. Patet scilicet. Hieronym. Epist. 53. contra Vigilant. ibidem sequitur agnum quocumque ierit, plane docet, Angelos ubique præsto esse propter naturæ suæ celeritatem. Gregor. Magnus hom. 34. in Euang. long. & breu. cum dixisset, Angelos, qui in cælo mittuntur, Deo semper assistere, reddit rationem his verbis, *Quia etsi circumscriptus est ipse Angelicus spiritus, summum tamen ipse spiritus qui Deus est, circumscriptus non est: quid dicat quāuis spiritus Angelicus in particulari loco sit, & ita, cum mittitur in cælo, priorem locum deserat, quia tamen spiritus increatus ubique est, Angelus quocumque erit, ipsi summo spiritui præsens est: quod si Angelus in cælo maneret, frustra hanc rationem Gregorius addideret. Hoc testimonium citat Magister in 1. dist. 34. cap. 1. Summum ex Beda super Lucam: sed reuera est Gregor. in 1. homilia, quæ est ex Euang. Lucæ 15. de 99. ovis. Idem omnino docuit ipse Gregorius lib. 1. in 1. cap. 2. Denique Bern. serm. 5. super Cant. cum dubitaretur, an Angeli corporei sint, inde probat, corporeos, esse quia mouentur, in dubitatum autem quæ illi sint, Angelos loco moueri; tamen utrum corporei an incorporei essent dubitauerit.***

Eadem quoque sententia in Scriptura aperte traditur, quamuis nonnulla etiam testimonia pro ea allegari soleant, quæ nihil omnino probant. Omnis igitur illis testimoniis Lucæ 10. Videntur Sathanam tanquam fulgur cadentem de cælo: & Apocalyp. 12. Neque inueniuntur locum totum amplius in cælo. de quibus disputatione 224. cap. 1. & 2. dicendum sumus, nonnulli probant, quia in Scriptura dicitur Angeli ascendere, & descendere, Ioan. 1. & 5. cap. 1. Tamen non multum inde probatur: testis nam & descendere diuinæ personæ conuenit, absque eo quod loco moueatur: spiritus conuenit, super Christum descendisse dicitur, eo quod in eo loco nouo modo caput apparere. Eliciusque probatur primum: ex illo Iob 1. ubi dicitur Sathan

has circumfisse, & perambulasse terram: nam quamuis etiam Deus dicatur Genesis 3. deambulasse ad auram post meridiem, id tamen de Deo dicitur ratione assumpti corporis, in quo apparere dignatus est: at non est credibile, Sathanam in assumpto corpore deambulasse, & circumfisse terram: corpus enim demones, aut Angeli tantum assumunt, quoties hominibus apparent. Deinde ex illo Matth. 8. ubi demones à Domino petierunt, ut eos mitteret in porcos: nam quamuis ex eo solum, quod dicantur à Deo mitti ad nos, non satis probetur motus secundum locum, ut statim videbimus ex illo tamē loco allegato id recte probatur, quia ibi non tantum dicuntur missi in porcos, sed etiam ex corpore illo, quod obsidebant, in porcos missi. At aliquem mitti ex vno loco in alium, non potest sine motu secundum locum fieri: Ideo autem dixi, ex illis locis, ubi dicuntur Angeli simpliciter à Deo missi, non probari, eos loco moveri, quia ut disputatio 171. cap. 1. dictum est, etiam si missio debeat esse exitus quidam à mittente; tamen non debet esse secundum locum, sed satis est, si persona, quæ mittitur, exeat à mittente, secundum substantiam, & in aliquo loco incipiat apparere. Cumque Angelus à Deo fiat; etiam si ab eo loco non exiret, neque discederet diceretur, ab ipso mitti à mitti de vno loco in alium non dicitur, nisi de vno in alium exire dicitur; nam persona diuina procedens, etiam si dicatur mitti à producente, non tamen dicitur mitti de vno loco ad alium. Huc etiam pertinet loca omnia, in quibus demones dicebantur à corporibus exire, quæ sequenti capite referemus. Testimonium vero, quod adduximus pro prior sententia, ex Augustino, nihil probare colligitur ex his, quæ diximus disputatione 187. capit. 2.

Id, quod hæcenus de Angelis diximus, de anima quoque rationali intelligendum est, hoc est, non tantum dum est in corpore, sed etiam præparatam moveri: qua ratione anima Christi dicitur vere ad inferos descendisse, & Lucæ 16. anima Lazari dicitur deportata in sinum Abrahæ. Quod autem aliqui dicunt, illam solum fuisse paratolam, absurdum est. Nam in parabolis nomina propria non solent introduci. Est autem de fide, & animam Christi secundum substantiam ad inferos descendisse, & animas damnatorum ibi vere esse, ut suis locis dicitur. Quare errat Durand. in 1. dist. 37. 2. part. qu. 1. ad 6. & in 3. dist. 22. q. 3. num. 5. cum ait animam separatam, secundum se nullibi esse, & inferno, aut purgatorio per deputationem solum adesse.

CAPVT III.

Angelum à se moueri.

SI Patrum testimonia superiori capite allegata recte considerentur, non solum probant, Angelum de loco ad locum sed etiam à seipso moveri, ut optime obseruauit Gregor. in 2. d. 6. qu. 1. art. 4. eos quoque à se moueri, docet Scotus in 2. dist. 2. qu. 10. & Maior quæst. 11. circa finem, & sancti Patres iudicant, cum asserunt, propter naturæ celeritatem præsto ubique esse. Nam si non à principio interno mouerentur, non naturæ celeritati, sed efficacitati alterius mouentis id tribueretur. Ex Scriptura quoque perspicue colligitur, ubi quocunque dicuntur demones exire, Marci 1. Lucæ 4.

Act. 8. exire namque non dicitur, sicut neque ire, nisi qui propria virtute mouetur. Quis enim dicat, lapidem, qui portatur, ire, aut domo exire? Quare nescio, cur dixerit Gregorius ibidem, nihil in hac re certum haberi? intelligere namque videtur, ex Scriptura. Ratione etiam probatur, quoniam si viuientia, quæ multo imperfectiora sunt, seipsis mouentur; cur id non concedemus perfectissimæ substantiæ, qualis est spiritualis, quod enim nonnulli contendunt necessarium esse, in aliquo mouente se, distinguere partem mouentem, à parte mota, nulla ratione monstrari potest: quocirca frustra Capreolus in 2. dist. 6. qu. 1. conclus. 1. docet, Angelos moveri non posse à seipsis motu per se, quia nequeunt in illis distinguere partem per se mouens, & per se mota, bene tamen motu per accidens, ut in secunda conclusione docet; quem motum per accidens defectu prædictæ distinctionis ego sane non intelligo: utrumque ergo ille moueatur, negari non debet, propria virtute moueri. De parte autem mouente, & parte mota disputare, nostri instituti ratio non postulat.

De anima vero separata, an seipsa moueatur, ex doctrina Patrum & Scripturæ non ita compertum est. Ea vero solum ratione mihi probabile fit, animam à seipsa moveri, quia cum nobilissima substantia sit, non est ei deneganda talis virtus, quam viuentibus concedimus.

Hæc autem sententiæ duo videntur obflare, vnum est, quod anima separata non potest mouere vilius corpus, ut docet S. Thom. infra qu. 117. artic. 4. ergo neque seipsam. Respondet, primum quidem nullo probabilius esse id, quod docuit sanctus Doctor, nempe ab anima separata corpus nullum moveri posse; quia, ut ipse probat, cum solu nutu suæ voluntatis illud mouere deberet, non minus in corpore mouere posset, quam extra; neque enim in corpore aliqui virtutis deesset voluntati animæ, quod extra corpus haberet: nam diuersus modus existendi prædictæ virtuti nihil derogaret. Quod autem separata intelligat alio modo, quam coniuncta, mirum non est: dum enim, dum est in corpore, cum sensibus connexa sit accipiens à illis species, quibus intelligit; illis quoque iuuatur ad actum cognitionis, quibus separata iuuari nequit: at vero, ut nutu suæ voluntatis sit potens operari, nihil obflare potest coniunctio cum corpore; siquidem ut moueat, contractu aliquo non indiget quantitatis. Hinc tamē videtur sequi contra opinionem eorum, qui dicunt, substantiam spirituales in loco esse per operationem, animam separatam non esse in loco, ac proinde moveri non posse: nam cum nequeat operari in aliquod corpus, siquidem ipsum neque loco mouere potest, nullo modo in illo esse poterit per operationem. In nostra vero opinione, qui diximus disputatione 188. Angelum esse in loco sue operatione ratione illius modi, quo se applicat corpori, fieri optime potest, ut anima in loco sit, & de loco moueatur. Deinde respondeo, animam seipsam mouere posse, etiam si alia corpora mouere nequeat: maior enim virtus videtur necessaria ad mouendum alia, quam ut ipsam moueat.

Alterum, quod obstat prædictæ sententiæ est, quia anima dum est in corpore, non potest seipsam ab eo diuellere: ergo nec extra corpus de vno loco in alium seipsam mouere. Respondeo, diuersam esse rationem: nam sicut substantia demonis

Act. 8.

Anima rationalis separata à se mouetur.

S. Thomas.

10.

rali

tali modo potest coniungi vni corpori, vt illi alligetur, nec suz subit voluntati, modum illum mutare, ac proinde, nec ab eo loco moueri (motus enim ab eo loco, debet esse, deferendo corpus, relicto modo, quo corpori vnitur) ita etiam multo magis anima naturaliter corpori vnita talem habet modum vniōis cum corpore, vt ab eo separari nequeat, quia neque modū illum relinquere potest, quem non sua voluntate, sed natura ipsa generationis habet: at modum, quem extra corpus sua voluntate ipsa sibi communicat, quo corpori alicui, vt in loco, coniungatur, voluntate quoque sua mutare posse, rationi consonum est.

21.

Vltimo obserua, friuolum esse quod quidam comminiscuntur, Angelos aliquos tantz esse virtutis, vt impulsu aliquo quasi impresso alteri Angelo, ipsum vel loco alligent, vel inde per vim moueant: hoc enim proprium videtur esse corporum. Quia autem hoc modo philosophantur, imaginatione potius, quam ratione ducti videntur, cum de spiritibus eo modo philosophantur, ac si corpora essent. Quare si vnus Angelus, quantum excellens, alium loco pellat, non facit id nisi virtute Dei, & imperio, sicut etiam sancti viri efficiunt: alioquin vnus bonus Angelus non posset dæmonem superioris speciei alligare, cum virtute naturali ab eo potius superetur.

DISPV. CXC.V.

An motus angeli siquid in ipso Angelo.

Motum Angeli aliquid ei intrinsecum esse, docuit Lichetus, cap. 1.

Angelum tantum moueri ad formam extrinsecam, plerique docuerunt, cap. 2.

Notationes pro explicatione verioris sententia, cap. 3.

Media sententia probabilior est, cap. 4.

Satisfit argumentis, quæ nostræ sententia opponuntur, c. 5.

Moueri potest Angelus motu continuo, cap. 6.

CAPVT I.

Motum Angeli aliquid ei intrinsecum esse, docuit Lichetus.

CUm ceteri omnes Scholastici contra Heretizum, & Durandum vno ore fateantur, Angelum moueri, variant tamen inter se, & de natura ipsius motus diuersa sentiunt. Nonnulli arbitrantur, motū Angeli esse ad aliquam formam intrinsecā, quam appellāt, vbi, sicut etiam in corporibus contingit. Hanc sententiam sequuntur recentiores nonnulli, & expresse Lichetus in 2. d. 2. q. 5. a. 2. vbi refert sententiam Gregorij, & ad eius argumenta respondet. Allegant quoque pro ea Scotum in 2. d. 7. q. 9. ad quæst. dico, circa finem, dum ait, motum Angelorū cum mouetur in corpore assumpto, esse aliquid formaliter distinctum à motu ipsius corporis: prior namque ratione idem asserere debet, quando Angelus per se sine corpore assumpto mouetur. Ex his vero Scholasticis nullum inuenire potui, qui prædictæ opinioni ad stipularetur. Nam Alex. 2. parte, qu. 3. memb. 1. Bonau. in 1. dist. 37. art. 1. qu. 1. Ricard. art. 3. q. 2. Gabr. in 2. dist. 2. qu. 3. Capreol. qu. 1. art. 1. solam docent, Angelum de loco ad locum moueri. Quid autem tali motu adquirat, vtrum intrinsecum, an extrinsecum quid,

Lichetus, Scotus.

Alexand. Bonauent. Ricard. Gabr. Capreolus.

non explicant. Ceteri autem oppositam amplectuntur sententiam, vt cap. sequenti videbimus.

Rationes huius opinionis præcipue sunt tres. Prima est, motus debet esse in mobili: ergo motus realis debet esse realiter in mobili: motus autem Angelus est realis, vt disp. præced. probatum est: ergo debet esse realiter, ac proinde intrinsecus in ipso mobili; alioqui si tantum esset extrinsecus denominatio, cum illa sit aliquid rationis, solum per rationem non reipla, diceretur Angelus moueri.

Secunda ratio, Angelus non tantum mouetur per accedens motu alterius, vt in assumpto corpore, sed etiam per se, ita vt ipse primo conueniat moueri: ergo in eo debet esse variatio aliqua realis, vt per se dicatur moueri: hæc autem fieri nequit, nisi in eo fiat aliqua intrinseca mutatio: nam per extrinsecum respectum ad res alias fieri non potest mutatio realis: extrinseca enim mutatio non confugit, nisi mutatione aliqua reali facta in aliquo extremo: cumque Angelus mouetur nulla alia re mutata, aut variata; necesse est, vt in ipso fiat intrinseca aliqua mutatio: quod si variatione solum aliarum rerum diceretur Angelus loco moueri, non tam ipse, quam res aliz moueri dicerentur.

Tertia ratio, Angelus est in loco per modum aliquem realem, & intrinsecum additum substantia sue: sed moueri, est locum mutare: ergo necessario fieri debet mutatio illius modi numerici, quo Angelus in loco constituitur: motus enim nihil aliud est, quam fieri ipsam formam, quæ requiritur, sicut dealbatio nihil aliud est, quam fieri albedinem.

CAPVT II.

Angelum tantum moueri ad formam extrinsecam, plerique docuerunt.

Plures alij Theologi affirmant, Angelum ad formam aliquam extrinsecam solum moueri. In hac sententia fuerunt Egidius in 1. d. 37. 2. p. 1. art. 2. q. 1. Ferrar. 3. cono. gen. cap. 10. 2. præfatione §. 2. respondetur, Caiet. in hunc art. §. Cincapredita. Greg. in 1. d. 2. dist. 6. qu. 1. art. 2. id quod tam vero existimant in motu corporis, quam in motu Angeli. Hæc de causa nonnulli recentiores, illum docuisse, Angelum non moueri, cum tamen multi graues auctores existimant, corpus non moueri secundum locum ad formam intrinsecam; ob id tamen non asserunt, nec sentire coguntur, corpus non vici mouetur. Hæc opinio non leue fundamentum in S. Thom. & Aristot. habet. Primum S. Thom. in 1. q. 100. art. 3. docet, Angelos mouere posse corpus: ita secundum locum non tamen alio motu; quia corpus per motum secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum. Deinde Arist. in 1. physic. cap. 7. textu 59. ait: Sola namque lætione motu in hisce, quæ insunt sibi, mouetur, vt cum quippiam aliter mouetur. Hinc vero colligit, motum secundum locum esse nobiliorem ceteris, quia per illum nihil mouetur eorum, quæ insunt ipsi mobili, & ideo conueniente nobiliori corpori, quod ceterorum motu capax non est: quod si corpora motu secundum locum ad aliquid extrinsecum mouentur, multo magis ad aliquid extrinsecum mouetur. Porro de coicid de Angelis asserendum videtur, quia hoc corporibus hoc ipsum ratio confirmat, quia hoc moueri motus corpus moueri dicitur ad locum, sed

Lichetus